



Band II



L 15 459,3

Archiv A04

No 545-704.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ

ἢ

ΘΕΟΙΣ ΣΤΥΝΑΟΙΣ

PULCHRAS ÆDES PULCHERIANAS,

quas

VIR

PRÆNOBILISSIMUS, AMPLISSIMUS, EXCEL-  
LENTISSIMUS, CONSULTISSIMUS,

DOMINUS

CASPARUS  
CHRISTIANUS  
HÜBSCHIU,

Hæreditarius in Nieder-Reyna/

J. U. L. *celebratissimus,*

Urbis Patriæ Budissinensis Consul ac Pater im-  
mortaliter meritus,

*Scholæq; Ephorus gravissimus,*

Eximius Musarum Patronus,

Flammâ olim deletas, divinâ vero gratiâ instauratas,

*postliminio occupabat,*

d. IV. Eid. Majas A. O. R. CIO IO CCXII.

læto auguriô, studiô piô, devotâ mente,

D. D. D.

IOANNES CHRISTIANUS RUDIGERUS,  
Thuring. S. Th. C.

Budissæ, prælo Richterianô.



Uper ut Eod surgens Aurora cubili  
Vult adventantem significare diem.  
Ecce! citis occurrit ei dea vecta quadri-  
gis,  
Et Pallantiadi mox comes ire parat  
Quæ dea? num Veneris video, currusne Dianæ?  
Ipsa ait. Ac Veneris credidit esse rotas,  
Flora erat, augustò frontem redimita decore,  
Tempora brumali verna datura solo.  
Queis ibat, cœli volitare per æquora Currus  
Visi, ventigenis dum rapiuntur equis.  
Florifer aureolas Zephyrus moderatur habenas,  
Huc illuceleres quadrupedésq; citat.  
Vestibant axes prægnantes germine frondes,  
Primitiæ florum spesque futura rosæ.  
Ipsa intus viridi succincta sedebat amictu,  
Fœcundos quassat dextera læta sinus.  
Nec deerant comites: circum Charitesq; Fociq;  
Risus & Zephyrùm turba levis volitant.  
Qualis, Acidaias, visa est, dum pergit ad undas,  
Diva Paphi celebri cincta fuisse Choro:  
Nympharum pietas, lætantiâq; agmina Amorum,  
Et Satyrùm stipat cœtus utrinque latus.  
Talis læta suas ducebat Flora cohortes:  
Quam Boreæ fugiunt, undique ridet humus.  
Jamque caterva deæ Lusatis appulit oris,  
Et Matuta comes. Mox dea visa loqui:  
Quid video? quis te, superis dilecta BV DISSA!  
Restituit? quater is terque beatus eat!

Felicem te, Spreve pater! nunc fluctibus udum,  
Tolle, nec ulterius contegat alga, caput.  
Stant iterum, hâc-submersa-tenus fuligine, tecta.  
Quis neget, irarum pœnituisse DEUM?  
Ter redii, ter mœsta tuo, Budsetia, luctu,  
Indolui. Testes Sprevides este mihi.  
Ast nunc luctifici cessant ceduntque dolores,  
Læta tuum repeto, bella Budissa, solum.  
Dixit, fœcundósque sinûs superexcudit agris,  
Lætaq; gens Zephyrum dulce celeusma sonat.  
O nimium dilecta DEO, Pallantias infit,  
Urbs! tibi qui misit cœlitus HVBSCHIADEN,  
Hujus consilium & fato Prudentia major,  
Et pietas tete restituere tibi.  
O! quoties grandes volventem pectore curas  
Vidimus? eois quando redimus equis.  
Insomnes ipsum quot vidit Cynthia noctes,  
Lassatum patriis sollicitudinibus?  
Nulla quies. Caræ lugubria busta Parentis  
Sensibus occurrunt nocte dieq; piis.  
Ingemit: Ah! miseræ quàm tangor imagine Matris!  
Esse aliâ ò liceat si ratione pium!  
Quàm tristis nobis Pietatis gloria restat!  
Non tamen hâc segnes nos, decet, esse viâ.  
Omnis jam mihi longa mora est. Reparanda Budissa  
est.

Ibimus! auspiciis res eget ista meis.  
Facta dedere fidem, haud vanus fuit impetus ille.  
Si cupias testes, non domus una dabit.  
Quænam pro meritis referat Pater Optimus illis  
Præmia? dum reputat, Culmina bella dedit.  
Pulcros pulcra decent. Factis quid pulcrius istis?  
Fas, pulcrum facinus præmia pulcra sequi.  
Nobile nonne vides, gelidam quod respicit Ursam,  
Tectum? hoc egregii pignus amoris erit.  
Sic placuit superis, has semper ut HVBSCHIVS  
Ædes,  
Serior HVBSCHIADVUM Progeniesque colat.  
Ast quænam ex isto divum certamina Colle  
Audio? Rivales judicat Ida Deas?

Dardanidæne pii, & quos curat Pallas, Achivi  
 Partes in duplices distribuere polum?  
 Fallimur. En! Certant meliori lite Perenna,  
 Gloria, Relligio, doctus Apollo, Themis,  
 Et Fortuna. Sibi hæc prior istas asserit ædes,  
 Firmaque, quæ nusquam, hic figere templa cupit.  
 Diva Perenna, sibi, & concedere nescius ulli  
 Terminus, hancce domum perpetuam esse, volunt.  
 Asserimus nobis hanc, læto Gloria vultu  
 Inquit, qua magis haud Romula templa placent.  
 Protinus en! Musas doctumque Heliconam relinquam,  
 Hic mihi si liceat degere, Phœbus ait.  
 Aptior ulla mihi, pergebat voce modesta  
 Relligio, sedes nec domus esse queat.  
 Siccine tam gratus, verbis Astræa severis  
 Conqueritur, nobis inuideatur honor?  
 Ante iterum terras hominesque relinquere mallet,  
 Ætheriaque iterum condere nube caput.  
 Sed quis rixarum finis? Vos dicite, Divæ,  
 Quas, testes nostræ litis adesse, juvat.  
 Dicite, iudicio vestro nos stabimus, istam,  
 Quis dignus nostrum est, incoluisse Domum!  
 Vos inter, quis, tam sanctas componere lites,  
 Ausit? Flora refert, iudiciumque ferat?  
 Nobis vestra tamen quia iussa capeßere fas est,  
 Communis vobis en! erit una Domus.  
 Communes aræ, communia templa dabuntur,  
 Fas est, communes hic habitare deos.  
 Dicta placent cunctis. Mox linquens munera verna,  
 Hinc abit, & Chloris proxima rura petit.  
 Et Matuta dehinc Lusatis aufugit oris,  
 Indicens alibi, solis adesse rotas.  
 Ast parte ex alia surgens concordia divum  
 Unanimi pompa templa novella capit.  
 Illis quæ festo mox ipse dicavit honore  
 HVBSCHIVS, & porro Mysta fidelis erit.  
 Æolus ast absit procul hac & Mulciber Æde,  
 Nam sacrata diis est domus ista suis.  
 Hanc, precor, EXIMIVS colat INCOLA, serior atque  
 Spretis terrenis, cælica tecta petat!



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1066905 1